



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Controversia 1. De varia in Deo Scientia, ac præscientia futurorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

PARS SECUNDA
RESOLUTIONES
THEOLOGICÆ
IN SCHOLIS CONTROVERSÆ

Quia necessarium est Missionario, & ceteris qui alios docent, accuratè discernere Controversias purè polemicas, à Questionibus Scholasticis qua inter ipsos Catholicos in utramque partem liberè disceptantur: maximè quoque decet virum litteratum quaestiones subtiliores in promptu habere qua passim in disputationem venire solent, & quarum ignorantia facile doctrinam sanam cum damnata confundit. Hinc, ex plurium desiderio, harum notitiam, statum, argumenta, resolutiones, partim hic, partim alibi, brevi, commodâque methodo exponemus.

CONTROVERSIA PRIMA

De varia in Deo Scientia, ac præscientia futurorum.

§. I.

Notio, ac divisio Scientia divina.

Primò: Deo nulla inest realis distinctio, præterquam trium Personarum: hinc quaeritur

vis

vis intellectio, aut volitio divina, aliud non est, quàm Deus per se intelligens, aut volens, sine ulla actuum distinctione, aut nova accessione, per quam aliqua mutationis internæ umbra inducatur.

2. Nulla Dei intellectio est merè apprehensiva, aut etiam opinativa: Sed omnis ejus cognitio perfecta scientia est. Quidquid enim cognoscit, id clarè, certòque judicat. Neque judicium illud scientificum formatur more nostro, per compositionem ac divisionem, sed per simplicem representationem, absque eo quod prædicatum ad subjectum mediante copulâ referatur dum affirmat, aut à subjecto removeatur dum aliquid negat.

3. Scientia Dei non est discursiva, sive illativa unius ex alio. Quia aliqua mentis imperfectio est, ex antecedente clarius cognito elicere consequentis cognitionem obscuriorem, quod in omni discursu contingit. Hinc dum cognoscit Deus suam omnipotentiam esse productivam leonis, non movetur intellectus divinus à potentia productiva leonis cognita, ad cognoscendum leonem; sed utrumque simul & per se perfectissimè comprehendit.

4. Divisio scientiæ diviniæ communior est, in scientiam naturalem sive necessariam, quâ Deus ab æterno, ante omne liberum decretum suæ voluntatis, cognovit res possibles, quæ non potuerunt aliter se habere, ut mundum esse producibilem: & in scientiam liberam, quâ cognoscuntur res contingentes, sive quæ potuerunt aliter se habere, v. g. Judam peccare.

Ea divisio aliter exprimitur, in scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognovit res possibles quasi abstrahendo ab earum existentia:

324 Pars 2. Cont. 1. De varia in Deo Scientia,
in scientiam Visionis, quâ videt totam seriem
rerum existentium in quacunque temporis diffe-
rentia: & in scientiam Mediam, quâ cognoscit
rem futuram sub conditione contingenti, sive
quid homines & angeli facturi essent pro sua li-
bertate, si cum his vel illis circumstantiis, in hoc
vel illo rerum ordine collocarentur.

5. Ut hæc triplicis scientiæ distinctio clarius
inhæreat: Primò concipiatur, Deum ab æterno,
antequam aliquid extra se producere statuisset,
in Mente sua, tanquam in lucidissimo speculo,
complexum fuisse infinitos rerum ordines, quos
si vellet, conderè potuisset: Secundò, distinctè
percepisse, quid in singulis ordinibus futurum
esset ex libero hominum & angelorum arbi-
trio, si decerneret illos in his vel illis circum-
stantiis actû producere: Tertiò, ex illis omni-
bus elegisse hunc ordinem rerum, qui à prima
mundi creatione perseverat, & continuâ serie
deinceps decurret: Quartò, hac electione con-
stitutâ, absolutè & determinatè ex parte sui ac-
tus vidisse omnia quæ in hoc ordine ex libero
hominum & angelorum arbitrio fiunt; & præ-
ter hæc præscivisse universa, quæ in quavis hy-
pothesi futura essent: atque hæc sub conditione
tantum futura, alij per scientiam quam nuncu-
pamus Mediam, alij aliter prænosci contendunt,
ut jam dicemus.

S. 2.

DE SCIENTIA MEDIA

Controversia Status, & origo breviter exponitur.

EXorta est controversia hæc in Scholis celeberrima de scientia media, præcipuè circa annum 1588. dum in lucem prodiit liber P. Ludovici Molinae Societatis Jesu Theologi, Vlyssipone in Lusitania, de Concordia Gratia. Sed & Opere nondum typis vulgato, ut in ipsis cunis præfocaretur, summo studio contendit ex Schola S. Thomæ Dominicus Bannez, aliique, à quibus doctrina de scientia media, & auxiliis, ad Tribunal S. Inquisitionis Lusitanicæ protracta est, & in multis vehementer accusata. Sed in hoc judicio, omni erroris suspitione liberata, robur potius quam detrimentum accepit. Instauratur tamen in Inquisitione Hispanica nova accusatio: ac primum Complutensis Universitas, jubente Illustrissimo Nuncio Cardinale Cajetano, & Senatu S. Inquisitionis, Molinae Concordiam per annum integrum rigido examini sebiecit. Sed & hinc purior, robustiorque evasit, dum tandem primo Octobris anno 1596. Universitatis calculo declaratur, in Molinae Concordia contineri sanam & Catholicam doctrinam, Scripturæ, Conciliis, Patribus, & Scholasticis consentaneam: uti testatur ipse Academiae Rector in litteris Romam datis ad Cardinalem Pompeium Aragonium, quæ extant apud Paulum Leonardum p. i. n. 36.

Itaque dum scientiæ mediæ per universam
Hispa-

326 Pars 2. Cont. 1. De varia in Deo Scientia,
Hispaniam exagitata nihil detrimenti, multum
verò incrementi, & gloria accederet, visum est
illius impugnatoribus rem totam ad Romanæ
Inquisitionis tribunal revocare, ac si ea nondum
alibi satis ventilata fuisset. Sic enim ex fide mo-
numentis rem prodit Ripalda tom. 2. de ente
supernat. *disp.* 113. n. 55. Aseclæ Dominici
Bannez, non acquiescentes iudicio Hispanorum,
ad supremum Romanæ Inquisitionis tribunal
appellarunt, missoque in sollicitationem causæ
legato sui Ordinis, qui prolixum in doctrinam
Molinæ Scriptum, Cardinali Alexandrino dica-
tum, obtulit. Cardinalis pro excutienda Molinæ
doctrina Congregationem octo Theologorum
à Clemente VIII. obtinuit, quibus postea duo
alij accessere. Sed cum hi ex Molinæ Concordia
propositiones aliquas modò censurarent, modò
easdem censurâ eximerent, placuit tandem Pon-
tifici censuras aut sententias in privatis conven-
tibus hactenus latas suppressere aut suspendere,
& causam totam ad se revocare, solemnè ritu
coram se, & Cardinalibus, ac Iudicibus dispu-
tandam à selectis Doctoribus tum Patrum Do-
minicanorum, tum Societatis Jesu, utriusque
etiam Ordinis Generali assistente.

Inchoatæ itaque sunt die 28. Martij anno
1602. Romæ in litterario teatro, summâ orbis
Christiani expectatione, celeberrimæ illæ inter
utrumque Ordinem disputationes, quæ ingenti
utrumque conatu protractæ fuerunt usque ad
annum 1606. Hujus temporis decursu habitæ
sunt Concertationes quadraginta septem, qua-
rum triginta septem præsentè Clemente VIII.
celebratæ sunt, quo è vivis sublato, Paulus V.
reliquis decem Disputationibus interfuit.

Tandem de rebus disputatis accuratè collecta
est

est Judicium censura, & summo Pontifici tradita; qui, inquit Ripalda, conveniens cum solis Cardinalibus eam expendit, & de sententia juxta merita causæ ferenda contulit. Ac demum ipsâ die D. Augustino sacrâ 28. Augusti 1606. majori meliorique Censorum parti adhærens, cum iisdem Cardinalibus pronunciavit, " Ut omnis doctrina Molinæ indemnis persisteret, & utriusque Familiæ sententia in Scholis Catholicis tutò & impunè doceretur, donec aliud à Sancta Sede decernatur. Eâ tamen lege ut neutra pars alteram censuris carpat, injuriisue lacerat. Quæ Pontificis Sanctio utrique parti intimata est, & ulterior hujus causæ processio interdicta. Hoc Pauli Pontificis Decretum inter alios refert Spondanus ad annum 1606. Et de eo plura notatu digna fusè tradit Petrus à S. Josepho, Paulus Leonardus, Ripalda, Henao, & Anatus de scientia media disp. 4. cap. 1. & in responsione ad fabulas Quæstionarii Tolofani. Scio quas tenebras his Actis offundere moliat Xantes Mariales in sua Bibliotheca relect. 17: p. 459. & alibi, quas Apostolica autoritate dissipavit Innocentius X. in calce Decreti à se editi 23. Aprilis anno 1654.

Verùm mihi hoc loco consilium non est pluribus monumentis, quæ ad manum sunt, huic causæ præsidium adferre, sed tantum aliquam ejus notitiam delibare, in ordine ad alias Controversias, quæ hic, & alibi in hoc Opere tractantur.

Explicatur, & probatur necessitas scientiæ Mediæ.

Scientiam in Deo Mediã negant, ut dixi, Sex professo Thomistæ, neque eam admittunt plerique Scotistæ; plures tamen Academiæ, ac Scholæ celebriores eam non excludunt, imo passim à viris doctrinã eximiis, multis, magnificè encomiis celebratur, uti videre est apud P. Henao, & plures alios. Ut verò controversiæ decisio, ejusque probatio distinctius intelligatur.

Dico primò, Admittenda est in Deo scientia illa conditionalium, quam nos mediã vocamus, hoc est, novit Deus infallibili scientiã non solum quid agere possint, sed etiam quid facturæ essent singulæ causæ liberæ, si locarentur in his vel illis circumstantiis ad actionem ponendam vel non ponendam conducentibus, & haberent omnia ad libere agendum requisita, quamvis etiam causæ illæ nunquam sint futuræ, vel certè nunquam in talibus circumstantiis constituendæ; cujus exempla dabimus assert. 2. de Tyriis & Ceilitis.

Scientiam hanc infallibilem de conditionatè futuris habere Deum saltem in suis decretis, de quibus infra, admittunt quoque recentiores Thomistæ: negarunt tamen illam absolutè nonnulli antiquiores, ut Ledesma, Cabrera, aliique, qui circa objecta sic conditionate futura agnoscebant tantum in Deo, scientiam conjecturalem: ac Ledesma quidem de scientia futur. conting. disp. 2. differ. 2. disertè asserit, posse quidem Deum iudicare quid foret verosimilius vel probabi-

babilius in tali eventu, non tamen posse definitum iudicium ferre, quod hoc esset aut erit, si illud fiat vel fieret.

Oportet igitur accuratè observare, controversiam celeberrimam inter Thomistas & auctores Societatis non esse sitam in eo, An Deus certò cognoscat futura contingentia quæ nunquam erunt, sed tantum futura essent positâ hac vel illa conditione: in hac enim scientia Deo attribuenda plerique nobiscum conveniunt. Sed quæstio principalis est, An Deus cognoscat illa futura directè in seipsis, aut antecedenter ad sua decreta, ut docent auctores Societatis, an verò in suis Decretis, quæ Thomistæ statuunt in Deo absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti circa omnes actiones liberas conditionatè futuras, quale est hoc decretum, Decerno ut si Petrus intret domum Caiphæ Christum neget; si respiciatur à Christo moveatur ad pœnitentiam. Cum autem alij in huiusmodi decretis, cum prædeterminatione physica quibus nituntur, gravem ostendant difficultatem, ut consistant cum libertate actuum humanorum, quam beneficio scientiæ mediæ facilius expediunt; hinc illa scientia contra se, suosque Auctores aliquem invidiæ fomitem ministravit.

Dico tamen secundò, Scientia mediæ jam explicata fundamentum habet solidissimum tam in Scriptura, quàm in Ratione.

Probatum itaque primò, ex pluribus Scripturæ locis, ac præcipuè 1. Regum. c. 23. ubi Davidi Deum consulenti, An descenderet Saul in Urbem Ceilam, & an eo adveniente viri Ceilitæ Davidem Sauli tradituri essent. Respondit Deus, *Si manseris in Ceilam descendet Saul, & à Ceilitis in manus ejus tradèris.* Itaque prævidit Deus sub
condi-

330 Pars 2. Cont 1. De varia in Deo Scientia,
conditione futurum adventum Saulis, & tradi-
tionem Davidis, quæ nunquam absolutè conse-
cuta est. Atqui Deus non habuit decretum quo
voluit ut si David permaneret in urbe, Ceilitæ
eum traderent. Ergo Deus illud prævidere de-
buit independentè à tali decreto per scientiam
quam vocamus mediam. Minor probatur, Quia
Deus non potest velle, aut decernere ut fiat ma-
lum, quale facturus erat Saul postulando sibi
tradi, & Ceilitæ tradendo Davidem innocen-
tem, aliàs enim Deus id decernendo se præberet
authorem actus mali: nam eadem ratio quæ ve-
tat Deum absolutè prædefinire actus peccami-
nosos, prohibet etiam eosdem decernere sub ali-
qua conditione.

Probatur idem ex verbis Christi Matthæi 11.
*Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quæ factæ
sunt in te, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent.*
Ubi exprobrat Judæis quod pænitentiam non
egerint, qualem facturi erant Tyrij & Sidonij, si
Deus illis eadem miracula, eandemque gratiam
præbisset. Nullam autem vim habuisset ista
exprobratio, sed potius frivola & iniqua foret, si
necessarium esset, istiusmodi decretum ex parte
actus absolutum, quo statuerit, Deus converte-
re Tyrios si Christus apud illos virtutes & mira-
cula patraisset. Respondere enim Judæi Christo
exprobranti meritò potuissent: *Quid mirum est
convertendos Tyrios si vidissent illa miracula, & nos
illis visis minimè converti? Quandoquidem Decretum
habueris convertendi Tyrios si signa illa spectassent, pro
nobis autem sub eadem conditione convertendis desit tale
Decretum, quod tamen ad nostram conversionem est om-
nino necessarium.* Tantumdem enim illud est, ac si
Judex captivum, quem clausum detinet, horte-
tur ut carcere egrediatur, & egredi cunctantem
hoc

hoc modo increpet, Si hoc dicerem socio captivo ille confestim exiret, habeo enim decretum, ubi hoc dicerem simul fores carceris illi referendi, quod tibi facere non decrevi. Quis non videt viro prudenti, multò magis Christo, indignam esse istam increpationem, admissâ necessitate talis decreti.

Retorquet in nos istam Judæorum querelam in nuperis Thesisibus Eximius P. Iansens, nec non Exim. P. Harney thesi 16. *Idem*, inquit, *in tua opinione dicerent (Judæi) ob negatam ipsis vocationem certò congruam*, qualis Tyriis concessa fuisset. At non ferit nos ista retorsio. Replicare enim isti querelæ in nostra sententia meritò potuit Christus, hoc modo: Vestra culpa factum est quod illa gratia sufficiens quâ nunc vocati estis, non fuerit prævisa certò congrua & efficax, qualis omnino esset, si velletis cum ea liberè converti & pænitere, quod in vestra situm est potestate. At non ita ab ipsorum libertate pendebat, quod Deus ab æterno non habuerit Decretum illud ex parte actus absolutum visis miraculis illos convertendi per media prædeterminantia, quale decretum ponunt in Deo respectu Tyrriorum, si ea miracula ipsis proposita fuissent.

Porro ad eneruandam vim argumenti quod supra assumpsimus pro scientia media, novam subtilitatem commentus est Joannes Caramuel in sua Theol. Fundamentali lib. 1. *Thesi 6.* Statuit ille in Tyriis & Sidoniis piam affectionem erga miracula, & decretum actuale amplectendi Religionem quam viderent miraculis comprobata: ex quo, inquit, per infallibilem consequentiam constare poterat, visis prodigiis, convertendos fuisse: pium autem affectum, & illud actuale Tyrriorum decretum cognoscebat
Deus

332 *Pars 2. Cont. 1. De varia in Deo Scientia,*
Deus scientiâ visionis ; nihil igitur opus erat
scientiâ mediâ.

Sed respondeo, machinam hanc imaginariam
facile curruere , negando in Tyrii eo tempore
exstitisse istud actuale decretum , quod nullo
fundamento ab adversariis astruitur. Vel enim
decretum illud publico Senatus, populique con-
sensu conditum fuit, vel privato singulorum ci-
vium consilio conceptum. Si publico omnium
consensu , incumbit adversariis ostendere , in
quibus tabulis, aut monumentis decretum illud
memoriæ proditum existat, nisi velint agnosce-
re, non Tyriorum decretum, sed suum esse com-
mentum. Si autem asserant privato consilio
singulorum animos miro consensu coaluisse in
pium illud decretum capeffendæ Religionis mi-
raculis confirmatæ ; nemo non videt quam pa-
rum probabilis, multò minus infallibilis sit arca-
nus ille Tyriorum consensus : cum passim in
Scripturis de Tyriorum dura cervice , & impie-
tate extent plurima ; de pio autem ad veram
Religionem affectu nihil uspiam scriptum repe-
riatur, præterquam in eorum libris qui hoc con-
tra scientiam mediam argumentum recenter
excogitarunt ; quod cum ostenderim probabili
fundamento destitutum per se corruere, non est
cur operosius expugnetur.

Aliam , sed non multò meliorem , evadendi
viam tentarunt nuper aliqui , qui ad eundem
Scripturæ locum respondent ; Tyrios præ Ju-
dæis minori affectu suis vitiis , & erroribus ad-
hæsisse : potuit igitur Deus per visionem istius
affectus infallibiliter scire, Tyrios non amplius
erroribus adhæsuros fuisse , si eodem tempore
fuissent fortius impulsus ad pænitentiam per gra-
tiam & miracula, quibus conversi non sunt Ju-
dæi,

dai, utpote suis vitiis & erroribus majori affectu alligati. Sufficiet ergo, absque scientia media, visio divina circa istam Tyriorum dispositionem olim actu existentem, ut inde certò cognoscat eorum penitentiam sub conditione futuram.

Sed contra, Supponere videtur hæc responsio, minorem affectum in vitia, accedente majori impulsu gratiæ, necessariò succumbere, & voluntatem gratiæ tunc impellenti infallibili lege obsecundare: unde sequetur, penitentiam sic prævisam non fore liberam, atque ita hanc responsionem impingere in doctrinam Jansenij de gratia victrici: parum enim referre videtur, siue major impulsus gratiæ necessariò victricis componatur cum minori affectu in vitia, siue cum minori inclinatione concupiscentiæ, modò voluntas sub illis constituta ex vi intrinseca & infallibili istius gratiæ ad actum penitentiae determinari debeat.

Quamquam & hæc objectio, in hypothesi quam supponit, eodem cum priori vitio laboret. Gratis enim assumitur Tyrios & Sydonios, homines insigniter impios, minori affectu suis vitiis adhæsisse, quam Judæos Bethsaidæ incolas, qui Dei notitiã, & lege, & plurimis divinæ ultionis exemplis instructi erant, quibus poterat vehementior in vitia affectus non parum elidi. Et in hoc ipso consistere videtur vis exprobrationis divinæ, quod cum Tyrij & Sidonij infideles majorem haberent obicem conversionis, facilius tamen per eadem miracula, eandemque gratiam liberum voluntatis arbitrium ad penitentiam inflexissent.

Quod si adhuc de Tyriorum moderatori in vitia affectu benignius hic sentiendum esse contendas, cogaris etiam ad Sodomitas idem patrocinium

334 Pars 2. Cont. De varia in Deo Scientia,
cium extendere. Nam in eodem contextu de
Capharnaō Judæorum urbe continuò subjungi-
tur; *Si in Sodomis facta fuissent virtutes quæ in te,
forte mansissent usque in hodiernum diem,* nempe per
secuturam conversionem & pænitentiam. An
ergo cognovit Christus scientiã visionis Sodo-
mitas minori affectu ferri in sua vitia, quam Ju-
dæi Capharnaitæ suis erroribus adhærent? At
contra, ipsa Scriptura disertè testatur *Genesis 13.*
Sodomitas fuisse *homines pessimos*, & in suis vitiis
ad extremum induratos: & tamen horum pæ-
nitentia conditionata præ Capharnaitis à Chri-
sto cognita, & prænunciata fuit, non utique ex
minori in vitia affectu, qui ultricibus è cælo
flammis ac sulphure cohibendus erat; sed ex ip-
sa libera, ac laudabili voluntatis ad pænitendum
determinatione sub conditione futura, & per
scientiam mediam prævisa. Neque video quor-
sum, ob expositionem tam parum solidam, ali-
quæ scientiæ mediæ patroni judicaverint hunc
Scripturæ locum non satis illi patrocinari.

Probatur secundo assertio, ex Ratione, quã
simul scientiæ mediæ singularis usus, ac necessi-
tas declaratur. Quia ad saluandam libertatem &
meritum nostrorum actuum necesse est dicere,
omnes gratias quæ ad actum eliciendum proxi-
mè conducunt esse indifferentes, sic ut voluntas
illis habitis possit seipsam determinare sive ad
agendum, sive ad non agendum; actio enim ad
quam voluntas non à se, sed ab alio principio
determinatur, non potest esse voluntati libera,
aut meritoria. Et tamen ex altera parte necesse
est asserere, aliquas gratias sic dari à Deo ut in-
fallibiliter inferant actum voluntatis creatæ,
cum non possit Deus homines certò destinare
ad merita gloriæ æternæ, nisi per gratias quas
novit

novit fore efficaces. Hæc autem duo optimè conciliantur per scientiam mediam, & non ita per viam cui alij insistant. Nam posito quod Deus istâ scientiâ videat, Si Petrus in talibus circumstantiis habeat hanc gratiam eliciet actum amoris Dei, potest decernere Petro dare in talibus circumstantiis illam gratiam: atque ita decernet gratiam quæ infallibiliter inferet effectum, liberè tamen ponendum, ex determinatione libera Petri per scientiam mediam prævisâ. At verò absque ista scientia non ita apparet, quâ ratione possit dicta efficacia gratiæ à Deo dandæ cum libertate voluntatis conciliari. Debet enim illa efficax & infallibilis connexio gratiæ cum actu provenire, vel ex ipsâ natura & entitate gratiæ, per se determinantis, & sic non relinquet voluntatem proximè indifferentem ut possit seipsam determinare: vel certè ponet aliud quo proximè determinetur in præjudicium libertatis. Quæ difficultas plures etiam ante Jansenium, in eum errorem impulit, ut absolute negarent ad libertatem requiri illam voluntatis indifferentiam. Hunc nos scopulum existimamus aptissimè declinari per usum scientiæ mediæ jam expositum, alij aliter, quorum varias & probabiles de hoc puncto sententias dabimus infra in Controversia 7.

S. 4.

Dissolvuntur breviter variorum Argumenta contra scientiam Mediam.

Obiiciunt primò, Scientiam mediam auferre Deo rationem primæ causæ, & primi liberi. Absit

336 *Pars 2. Cons. 1. De varia in Deo Scientia,*
Absit tantum nefas à Scientia illa minimè no-
xia. Probant tamen, Quia supponit liberam de-
terminationem voluntatis creatæ conditionatè
futuram, ante omne decretum actuale, & de-
terminatum voluntatis divinæ. Esto: Quid in-
de piaculi, quod Causa prima considerata in
statu conditionato nihil actu agat, ubi actu ni-
hil agitur. Sic enim in simili forma argumen-
tor, & ostendo ex illa objectione sequi, Scien-
tiam etiam simplicis intelligentiæ auferre à Deo
rationem primæ causæ, & primi liberi: Deus
ut cognoscens per scientiam simplicis intelli-
gentiæ objectum in statu possibilitatis v. g. ac-
tum creaturæ possibilem, nullum de eo objecto
habet actuale decretum: ergo Deus ut sic cog-
noscens non est prima causa, aut primum libe-
rum, Si claudicat hæc sequela, vacillat & ista;
Deus per scientiam mediam cognoscens objec-
tum in statu conditionato nullum de eo habet
actuale decretum: Ergo Deus ut sic cognoscens
non est prima causa, aut primum liberum. En
utrobique error idem se manifestat, quod nem-
pe exigatur in statu non absoluto divina liber-
tas absolutè exercita. Debet igitur hic primum
liberum sive primum determinans sumi propor-
tionatè ad statum in quo objectum considera-
tur, hoc est, in statu possibilitatis, Deus est pri-
mum liberum sive determinans, non actu, sed
possibilitè: in statu conditionato Deus est pri-
mum liberum non actu, sed conditionatè, sive,
esset primum agens liberè si conditio poneretur:
in statu autem absoluto Deus est primum libe-
rum actu & absolutè. Cum ergo pro illo triplici
statu, in quo res eadè considerari potest, Deus sit
primū agens & primum liberum, nullo profus
modo per scientiam mediam excluditur à ratio-
ne

ne primi agentis, liberi, determinantis. Nec impedit illa quo minus omne agens, & liberum creatum à Deo volente & decernente accipiat & ipsam potentiam eligendi, & totum actum electionis, relativè ad statum possibilem, conditionatum, aut actualè, in quo res à mente nostra consideratur existere, Hoc si ritè attenderetur, multum difficultatis, & contentionis evanesceret.

Obiicies tamen Secundò : Scientia media lædit in hoc libertatem divinam, quod non proponat Deo objectum suum cum indifferentia ad existendum, vel non existendum, sed exhibeat determinatè futurum, si ponantur certæ circumstantiæ, quasi prævenièdo determinationem divinam.

Respondeo negando assumptum : & iterum moneo, frustra obiici læsionem aut impedimentum libertatis in statu conditionato, ubi non datur locus libertati exercendæ, quæ tantum actu exerceri potest in statu absoluto. Cæterum non proponit scientia media actum voluntatis humanæ futurum sine dicta indifferentia, nisi ex hypothesi quod Deus liberè vellet suam gratiam, & concursum, & reliquas conditiones præbere, cum quibus prævidetur connectenda actio voluntatis humanæ, adeòque actus conditionatè prævisus per scientiam mediam, supponit etiam conditionatum exercitium libertatis divinæ, si ve, quod hoc exercitium actu esset, si actura foret voluntas creata. Non enim concipitur hæc actura, nisi supponantur ad futura omnia ex parte Dei ad agendum requisita.

Obiicies tertio : Cum scientia media non consistit libertas voluntatis creatæ : Posito enim auxilio divino, & scientia mediâ quâ Deus novit, si detur hoc auxilium in his circumstantiis

P

habi-

338 *Part 2. Cont. 1. De varia in Deo Scientia,*
habiturum effectum, non potest non sequi con-
sensus voluntatis creatæ.

Respondeo, Si ita noxia est libertati humanae
scientia media auxilii indifferentis, vā prævisio-
ni prædeterminationis physicæ, actum per se in-
fallibiliter inferentis. Nihilominus, admittunt
adversarii Deum prævidere, si ponatur præde-
terminatio physica, voluntatem liberè consen-
suram: Si ergo scientia conditionata futurae
prædeterminationis, non tollit libertatem vo-
luntatis humanæ, quomodo eam tollet scientia
conditionata auxilii indifferentis, quod ex parte
sua voluntatem indeterminatam relinquit.

Ad rationem itaque allatam in forma dico:
Posito auxilio divino, & ista scientiâ mediâ, non
potest non sequi consensus voluntatis humanæ,
necessitate aliqua simpliciter antecedente istum
consensum, nego; necessitate aliqua consequen-
te & præsupponente liberum exercitium volun-
tatis, concedo; hæc autem præscientia non po-
test tollere illam libertatem cuius exercitium à
præscientia non pendet, sed potius illa præscien-
tia dependet à determinatione conditionata &
libera ipsius voluntatis. Per scientiam itaque
mediam ideo solum novit Deus Petrum consen-
surum, si ponatur in his circumstantiis, quia re-
ipsâ in illis constitutus ad consensum liberè se
resolueret. Nulla igitur hic est necessitas nisi
merè consequens ex hypothesi liberæ determi-
nationis voluntatis humanæ, cum absolutè fue-
rit in potestate Petri efficere ut Deus hanc scien-
tiam non haberet, sed contrariam de negatione
consensus, si nempe Petrus in illis circumstantiis
positus nollet consentire.

Quinimo si voluntas esset instructa gratiâ, &
concurfu Dei, & aliis ad agendum proximè re-
quisitis,

quisquis, eodem modo actum eliceret etiam si scientia illa à Deo penitus abesset. Ista enim præscientia conditionata, quæ in actum nullo modo influit, non requiritur ad hoc ut voluntas possit agere; uti aliqui præposterè concipiunt, sed ut Deus in decernendo actu libero creaturæ procedat providè, & non cæco modo, per auxilia & media indifferentia, cum quibus non potest cognosci conjungendum esse effectum, nisi id exploretur beneficio scientiæ mediæ; sine qua in obtinendo efficaciter actu libero, dirigendæ essent à Deo suæ gratiæ eventu incerto: sicut ab homine emittuntur in scopum plures sagittæ, de quibus incertus est an hac, an aliâ scopus attingetur, cum singulæ ad hoc sint indifferentes, & possint à scopo aberrare.

Instabis, Etsi admitteretur scientia media esse posterior consensu voluntatis creatæ ut conditionatè futuro, est tamen illa prior eodem consensu in statu absoluto, sive ut est absolutè futurus, & stante illa præscientiâ necessariò sequetur: Ergo scientia media aufert libertatem istius consensus ut est absolutè futurus.

Respondeo distinguendo antecedens: Scientia media est prior consensu absolutè futuro aliquâ prioritate rationis, in quantum dirigit Deum ut actum futurum absolutè decernat, concedo antecedens: Est prior consensu absolutè futuro aliquâ prioritate naturæ, per modum causæ influentis, nego antecedens. Tantum enim requiritur illa scientia in Deo, ut cognoscatur consensus ille positus mediis indifferentibus infallibiliter secuturus, non verò ut illa in actum influat. Quinimo positus ceteris prærequisitis actus ille non minus eliceretur, etiam si scientia media abesset, ut supra ostendi, uti & ipsam

340 Pars 2 Cont. 7. De varia in Deo Scientia,
ipsam scientiam mediam potius dependere à li-
bero exercitio hujus actus sub conditione fu-
turi.

Quomodo verò universim scientia mediã ,
aut alia , quæ sic præcedunt actum liberum ut
ab ipso libero actus exercitio dependeant , nul-
lo modo officiant libertati , clarius elucescet ex
similitudine Umbraë , quæ Corpus nostrum ante-
cedit quando sol nobis à tergo obvertitur. Ni-
hil enim ambulantis libertati obest illa umbra
necessariò antecedens , cum illâ non obstante
possit homo pro suo arbitrio huc , vel illuc am-
bulare , & efficere ut hæc , vel illa umbra præce-
dat , quamvis ex hypothesi quod stet ad solem
retro lucentem debeat aliqua umbra hominem
antecedere. Est autem rerum futuritio quasi
quædam umbra intelligibilis , quæ licet , inter-
vallo temporum , rerum futurarum existentiam
antecedat , ab hac tamen futura existentia , tota
illa antecedens futuritio dependet. Non potest
igitur illa futuritio aut prænotio rerum futura-
rum libertati præjudicare , etiam si res quæ est,
vel esset futura , per suam futuritionem antece-
dentem seipsam quodammodò objectivè ante-
vertat , uti umbra quasi quid idem cum corpore,
ipsum corpus antecedit. Quæ similitudo facilius
accommodabitur rebus quæ tantum sub condi-
tione essent futuræ , si more Mathematicorum
consideremus astrorum umbras sive eclipfes ,
quæ post viginti millia annorum essent futuræ ,
quamvis forte mundus tam diu non stabit ; a-
deoque eclipfes illæ nunquam sint futuræ , ha-
bent tamen nunc suam futuritionem in mente
Mathematicorum. Sic etiam futuritio conditio-
nata non causatur ab ullo quod actu est , vel
erit , sed ab eo quod esset si conditio poneretur.
Et

Et per hanc similitudinem aptè explicari potest, quo pacto omnis Dei praescientia, praedestinatio, praedestinatio, reprobatio, quamvis fuerint ab aeterno, non tollant hominis libertatem, sed à nostro arbitrio benè, vel malè operante dependant, quod aegrè capiunt rudiores.

Obiicies quartò : Usus ille scientiæ mediæ favere videtur errori Semipelagianorum. Si enim Deus in distribuenda gratia dirigatur per scientiam illam conditionalem, sequetur opera conditionatè ponenda esse causam cur Deus hanc gratiam homini largiatur, in hoc autem errant Semipelagiani.

Respondeo negando assumptum : Ad argumenti sequelam dico, opera conditionatè ponenda, etsi sint certo modo causa finalis, ad quæ obtinenda conceditur gratia, non esse tamen opera illa causam meritoriam, aut impetratoriam gratiæ, sic ut illa nondum existentia gratiam sibi à Deo tanquam præmium concedi postulent; hoc autem contendebant Semipelagiani. Cum enim vellent omnem Dei gratiam homini dari ob merita ejus naturalia prævisa, & sæpè non reperirent merita absolutè futura, recurrerant ad merita, sive bona opera conditionatè ponenda; sic ut assererent ex duobus infantibus morituris uni prædestinari Baptisimum, & alteri negari, eò quod Deus prævideret, si supervixissent, unum benè acturum, alterum male : item uni adulto, non alteri, fidem prædicari, eo quod Deus præscriberet hunc, non illum, crediturum si fides illis annuncietur. Ista autem doctrina etiam apud defensores scientiæ mediæ profus erronea est, cum certum sit nullum opus, nisi absolutè existens, præmium aut pœnam mereri : imo constet multos præmaturè mori ac salvari,

342 Pars 2. Cont. 1. De varia in Deo Scientia,
salvari, qui si diutius vixissent, in multa demerita, & peccata incidissent, juxta illud Sapientia 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*: quem proinde locum sibi adversum, teste S. Augustino lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. Semipelagiani repellabant, tamquam è libro non canonico citatum. Causa itaque motiva cur Deus det alicui gratiam quam prævidet fore efficacem, potius quam merè sufficientem, est ipsa Dei bonitas, quam non tenetur in omnes æqualiter exercere: præscientia autem conditionalium proponit Deo opus bonum conditionalitè futurum, uti dixi, non ut causam meritoriam gratiæ efficacis, sed tantum ut causam finalem, quæ non movet actu existens instar meriti, sed per modum objecti futuri, & per media procurandi, juxta illud D. Thomæ *quest. 23. art. 5. ad primum*. Usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.

Obiicies quintò: S. Augustinus agens contra Semipelagianos, scientiam mediam non agnoscebat. Nam teste Prospero in epist. ad S. Augustinum, Semipelagiani credebant ab Augustino sub nomine prædestinationis, fatalem quandam induci necessitatem. Atqui istius necessitatis nulla poterat esse apparentia, si prædestinetur gratia indifferens, quæ per scientiam conditionalium certò cognoscitur consensum voluntatis liberè obtentura. Ergo D. Augustinus illam scientiam non agnoscebat.

Respondeo, Etsi S. Augustinus in statuenda prædestinatione usus fuisset scientiâ mediâ, potuisse nihilominus Semipelagianis videri, etiam cum illa, non satis salvari hominis libertatem: sicut etiamnum multi contendunt per prædestinationem

nitionem nixam scientiæ mediæ creaturæ libertatem everti, uti supra vidimus in objectione quarta: quamvis è contra alij existiment eâ positâ nullum esse evertendæ libertatis periculum.

De cetero, notam fuisse S. Augustino, aliisque Patribus scientiam illam conditionalium, patet vel eo, quod noverint ex Scripturis Deum præscivisse, quid acturi fuerint Ceilitæ si David apud eos mansisset; & quid visis Christi miraculis fecissent Tyrij & Sidonij, de quibus supra. Atqui S. Augustinus & Patres non agnoverunt de actionibus istis sub conditione futuris decreta conditionata quæ ponunt Thomistæ, sæpe enim disertè docet S. Augustinus, non omnium rerum, quarum est in Deo præscientia, earum etiam esse prædestinationem, sive decretum, sed prædestinationem esse de rebus bonis tantum, præscientiam etiam de malis. Ergo debet S. Augustinus cum aliis Patribus, ad præscientiam istarum actionum, maximè malarum, scientiam mediæ agnovisse.

His breviter dissolutis, non parum subit admirari, argumenta ista ab adversariis jactari tanquam tela scientiæ mediæ, ac Molinistis fatalia, cum tamen ex iis præcipua facile possint unico verbo infringi, & in suos Authores retorqueri, ut jam ostendo.

Jactant imprimis S. Augustinum in concilianda gratiâ cum libertate nomen scientiæ mediæ nunquam usurpasse. Sed ne hoc prolixè disputetur, ita sit, quid inde? Nuspiam gratiæ per se determinantis, nuspiam physicæ prædeterminationis, nuspiam istius decreti ex parte actus absoluti &c. nomen disertè expressit. An ideo agnosces hæc quoque penitus repudianda tanquam S. Augustino ignota? Nihil igitur hinc in scientiam

344 *Part 2. Cont. 1. De varia in Deo Scientia,*
tiam mediam potius quam in adversariorum do-
ctrinam invidiæ redundat.

At urgent alij D. Augustinum scientiam me-
diam in Semipelagianis diserte reprobasse. Sed
contra : Si Scientiam hanc ne quidem de no-
vit , quo pacto eam diserte reprobavit ? Dico
igitur S. Augustinum scientiam in Deo mediam
nunquam repudiasse , admitto tamen quando-
que malum ejus usum in Semipelagianis repre-
hendisse. Verùm quid inde conficies ? An non
potest rei optimæ abusus esse pessimus ? Si hac
tempestate Calvinistæ gratiã per se prædetermi-
nante sic abutantur , ut perperam doceant per
eam humanæ voluntati necessitatem inferri , an
ideo admittes gratiam illam esse Calvinianam,
& è Scholis relegandam ?

Sed inquires, Semipelagiani olim aiebant , ali-
quos infantes præ aliis ante mortem Baptizari ,
& quosdam adultos præ aliis ad Fidem efficaci-
ter vocari , quia nempe Deus per scientiam me-
diam prævidit illos postea si superviverent fidem
liberè amplexuros ; quod ab Augustino & Ec-
clesia universa meritò damnatum fuit.

Resp. Semipelagianos in eo damnatos esse ,
quod dicerent opera bona ex viribus naturæ , &
tantum conditionatè futura , vim habere meriti,
& ad salutem conducere, non quod assererent
ea opera à Deo sub conditione fuisse prævisa.

Hoc si neges , & porro contendas , illorum
errorem in hac præscientia situm fuisse, Vide ne
teipsum non minus quam tuos Adversarios in-
cautè impugnes. Nam & ipse saltem in decretis
conditionatis præscientiam de omni objecto
etiam sub conditione futuro in Deo admittis ;
& tamen ex præscientia sic habita sequetur vim
meriti absolutam competere operibus ut con-
ditionatè

ditionatè futuris, si id ex vi scientiæ mediæ sequi, debeat : Parum enim refert siue Deus in decretis, siue per scientiam mediam opera illa præcognoscat, ad hoc ut rationem meriti obtineant, in quo illis attribuendo hæretici illi meritò damnati fuere. Atque ita ut alios in Pelagianum illud pelagus demergas, teipsum in eandem ruinam incautè præcipitas.

Sunt & alij, qui scientiæ mediæ patronis obiciunt, quod velint esse primi istius scientiæ authores, cum tamen ea sit antiqua, & pridem cognita : at contra alij ex adversariis eam novitatis insimulant. Nec desunt alij qui scientiam mediam penitus abstrusam, & inconceptibilem esse affirmant : alij verò eam ut nimis apertam, & facilem gratiæ & libertatis conciliatricem accusant, cum mysterium hoc maximè reconditum esse omnes agnoscant. Hæ accusationes dum se mutuo interinunt, nostrâ responsione non egent.

Stant autem pro hac Scientia, præter Authores, Societatis, variæ Academiæ, ac Doctores celeberrimi. Pro eadem apud Henaum & Philalethem cap. 3. §. 3. à pag. 175. ex Archiepiscopis enumerantur Hugo Cavellus, Antonius Peres, Augustinus Antolinus, Gasper Nemius Duaci olim Professor : Ex Episcopis Malderus, Mascarenis, Dietalepius, Manriquez, Abelli, Crespi, Joannes Strienus, Levinus Torrentius, S. Franciscus Salesius novum Ecclesiæ tam sanctitate quàm doctrinâ columen & ornamentum. Ex quibus discernet idoneus Lector hanc Scientiam, & quæ illi innituntur dogmata, inter sanæ, solidæque doctrinæ articulos liberè recipiendam, etsi contra eam à pluribus more scholastico disputetur, uti fit in Controversia sequenti.